



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

D. Rosuuidis, Sa[n]ctimonialis, & Pretissa, Græco & Latino eloquio docta.  
cap. XCIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

## D. ROSVIDIS

Sanctimonialis, & Poetissa; Græco, & Latino  
eloquio docta.

*Omnium Dominus dilexit illam, Doctrix enim  
est disciplina Dei. Sapient. 8.*

## Cap. XCIX.



ON immeritò quartum huius generis linguarum  
Rami locum sibi uendicat, Rosuvidis, quæ nõ pro-  
cul à Constantino in habitu sanctimonialis depicta  
cernitur, cuius caput laurea ornatur corona, & ma-  
nus libro aperto, per quem opera eius signantur,  
repletæ sunt. Hæc natione, Saxonica, & nobili pro-  
pagata sanguine, in monasterio SS. Anastasij, & Innocentij Ponti-  
ficum in ciuitate Gadesrheimensi, non procul ab Hildeshem ciuita-  
te, ordinis Diui Benedicti, Congregationis Cluniacensis, uitam Re-  
ligiosam professâ, & Linguarum Græcæ uidelicet, & Latine, cogni-  
tione clara, miro ingenio, & doctrina ad miraculum usque resplen-  
duit, & in utroque scribendi genere, metro scilicet, & prosa admi-  
rabilis exitit. Oratores enim dicendi arte supergressa, Poetarum  
quoque sui temporis nulli inferior fuit, ut eius opera testantur,  
quæ sicut multa sunt, ita & tantæ virginis famam immortalè red-  
dunt: Sunt enim

De laudibus B. Virginis Mariæ, elegiaco, & Hexametro ver-  
su, lib. 1. Vnica spes.

Passio S. Dionysij Episcopi, & Martyris, carmine elegiaco, li. 1.

De S. Gangulpho, & aliis Sanctis plura, lib. 1.

Passio S. Pelagij Hispani Martyris, carmine, lib. 1. Inlyte Pe-  
lagi Martyr fortissime Christi.

De gestis Orthonum Imp. panegyricū versu Hexametro, li. 1.  
qui excusis est Frâcofurti, cum aliis rerum Germanicarum  
scriptoribus, an. 1584. in fol.

Ad virgines sacratas, castitatem & continentiam hortando,  
comœdias sex.

Omnia hæc eius opera, cū aliis quibusdã, ut laudes D. Annæ, &c.  
impressa sunt simul Norimbergæ à Contado Celte, an. Domini, 1501.

C Ccc 4 Flo-

Floruit Rosuvidis circa annum Dom. 990. ut patet ex eius libro quem de gestis Othonum scripsit, obiit enim Otho. III. Imp. an. Do. 1001. de quibus agere non potuisset, si ut ait Tritt. li. de scrip. eccl. & alij eius sequaces, centum, & amplius annis ante floruisset, id est temporibus Leonis III. Papæ, uel paulò post, an. Do. circiter 866. Et certe in eodem Tritt. in ebro. Hirsaugie rectissime collocata cerneretur. ad annos Dom. 980. quo tempore ueraciter claruit, nisi uerba in fine uitæ eius apposita, in lib. de script. eccl. cum dicit Coetanea Ioannis Anglici fuit, qui doctrina sua Papatum meruit, errorem indicarent: quæ tamen uerba, alterius potuit, quam Trittemij esse certo certius teneo. Impositores enim nostri temporis, huiusmodi multa in scriptis Catholicorum Doctorum affigunt, ut uenturam doctrinam suam, eorum quasi auctoritate roborent, ut etiam diximus in Trittemio, de secunda impressione huius libri de script. eccl. in qua penè infinita adiuncta sunt, quæ Tritt. nunquam excogitauit.

D. IOACHIMVS PERIONIVS:  
Latinæ Eloquentiæ Tullianæ, restitutor.

Hic adinuenit omnem uiam disciplina. Baruc. 3.  
Cap. C.



VLTIMO loco, monachi habitu, speciem legitis refigurantis, & librum apertum manibus gestantis, conspicitur Dōnus Ioachimus Perionius, natione Gallus, patria Cormariacenus, & monasterij S. Pauli apud Cormariacum, ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis monachus, cuius in rem litterariam beneficia adeò magna sunt, ut omnem humanam mentem excedant. Philosophiæ namque Aristotolicæ curriculum, necnon, & aliquot ueterum scripta ex Græco in linguam Latinam, eonitore, & elegantia styli Ciceronis æmuli conuertit, ut nemo ei hanc laudem præripuisse uideatur; factum quæ est ut deinceps philosophi Latinè loqui cœperint, qui antea erant infantes, & paulatim dediscere barbariæ, qua eorum disciplinæ, & libri erant fœdati, repudiatis ueterum uersionibus, & formulis. Quod diuinum beneficium manauit longius, nam eius exemplo, Theologi, Medici, Iurisconsulti, certatim sese ad eius uitationem componentes,